DISPUTATIO
MEDICA INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA STHENICA,

QUAM,

DEO MAXIMO ANNUENTE,

SUB MODERAMINE VIRI ADMODUM REVERENDI

JOANNIS EWING, S. T. P.

UNIVERSITATIS PENNSYLVANIENSIS PRÆFECTI;

NEC NON,

Ex curatorum perilluſtrium Auctoritate, et Ampliſſimæ Facultatis medicæ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in medicina honoribus et privilegiis rite et legitime conſequendis;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

TRISTRAMUS THOMAS,

MARYLANDENSIS,

SOCIET. MED. AMERIC. SOC.

AD DIEM 10 MAII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

PHILADELPHIÆ;

Ex Officina *GULIELMI YOUNG*, Bibliopolæ, N°. 52, Secunda-platea, angulo Castaniæ-plateæ.

M,DCC,XCII.

GULIELMO SHIPPEN, M. D.

ANATOMES, CHIRURGIÆ, &c. PROFESSORI.

ADAMO KUHN, M. D.

PRAXIS MEDICINÆ PROFSSORI.

NEC NON

JACOBO HUTCHINSON, M. D.

CHIMIÆ PROFESSORI, IN UNIVERSITATE PENNSYLVANIENSI.

Quorum mores et habitus grati jucundique, quorum etiam peritia atque ſolertia, ſive ut homines generoſi ſive profeſſorii conſpiciuntur, inter maximos merito eos repoſuerunt. Officia urbana, quæ mihi prælectionibus incumbenti, præbuerunt, in memoria mea, ſemper ſemperque manebunt.

D E N I Q U E

N I C H O L A O W A Y, M. D.

W I L M I N G T O N E N S I;

Viro ſtudio et felicitate medendi diu longeque præclaro, cujus patrocinium et animi benevoli indicia a pectore meo memori, nullo tempore labentur, haſce ſtudiorum medicorum ſub ejus auſpicio inceptorum, primitias, cum magna reverentia et obſervantia inſcribi vult.

A U C T O R.

DISPUTATIO

MEDICA INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA STHENICA.

PAUCA DE THORACE.

THORAX eſt omnis ea pars corporis, quæ ſterno, coſtis et vertebris dorſi compoſita eſt, omne id ſpatium, inter articulationes brachiorum cum ſcapulis et claviculis complectens.

Primo. Thorax in partem anteriorem et poſteriorem, et in partes laterales dividitur. Anterior pectus, poſterior dorſum, et laterales latus dextrum et ſiniſtrum nuncupantur.

Secundo. Thorax in partes externas internasque dividitur—Externæ, præter cutem et membranam adipoſam, mammæ et muſculi ſunt qui coſtas tegunt et loca intercoſtalia implent—Horum muſculorum precipui ſunt pectorales majores et

minores,

minores, ſubclavii, ſerrati majores, ſerrati ſuperiores poſtici, latiſſimi dorſi et vertebrales.

Ossa, quæ thoracis cavum componunt, ſternum, dorſi vertebræ duodecim, et coſtæ omnes ſunt.

Internæ partes, inter thoracis cavum continentur—Hoc cavum per membranam pleuram nominatam involutum eſt, quæ mediaſtinum faciens, cor, pulmones, et omnia vaſa ſanguinem ferentia, quæ vel exeunt vel introeunt, circumveſtit.

Latera interna a pleuris cavum totum inveſtientibus perficiuntur—Muſculi intercoſtales ſpatia inter coſtas implent et ita totum integrum reddere juvant.

Thorax ex abdomine per corpus muſculare diaphragma nuncupatum ſejungitur, quod ſupra convexum, et infra concavum eſt, ſuperficiem convexam pleura tegente.

Hæ omnes partes quæ ſupra memoratæ ſunt, thoracem integrum formant, baſis cujus eſt diaphragma. Pleura non ſolum cavum totum circumtegit, ſed, duplicatione mediaſtinum facit: per quod duo cava, dextrum et ſiniſtrum, fiunt—Pulmones totum cavum implent, dimidium quorum in latus dextrum, alterum in ſiniſtrum poſitum eſt. Cor cum ejus membrana (Pericardium vocata) inter duas plicas et in ſuperiori diaphragmatis parte poſitum eſt.

Cada-

Cadaverum diſſectiones docent, non ſolum pleuram ſed etiam omnia thoracis viſcera inflammationi obnoxia eſſe, et ex partium poſitione variarum morbi ſedes, certis ſymptomatibus, quæ ſingulam affectionem diverſam comitari obſervantur, comperta eſt. Hinc morbus, pro variis partibus inflammatis, diverſis nominibus diſtinguitur, ſed diſtinctiones iſtæ, nunc temporis, plerumque omit tuntur. Quia accipitur ut res ſancita, omnes ſingulas ſpecies ab iiſdem cauſis produci et ab iiſdem remediis ſanari; illas morbum conſtituere unum et eundem in nulla re diſcrepantem, niſi vi, qua noxæ excitantes applicantur, ut diatheſin ſthenicam vel mitem vel vehementem in corpus totum inducentes. His conſideratis, variæ diſtinctiones olim admiſſæ, prætermittendæ ſunt, et omnes ſub nomine, pneumoniæ ſthenicæ tractabimus.

Pneumonia ſthenica his ſymptomatibus ſequentibus dignoſcitur—Scil: *Pyrexia*, *reſpiratione* difficli, pectoris anxietate, et oppreſſione, in aliqua thoracis parte dolore, tuſſi primo ſicca, quæ, morbo augente et expectoratione ſuperveniente, humidior fit, et ſæpe ſubcruenta,—

Morbi acceſſus per horrorem, quem brevi excipit calor, ſeſe oſtendit—Pulſus primo crebris, et plenus et durus et validus fit. Hæc ſymptomata ſeſe primum patefaciunt: deinde ægrotus, elapſis paucis horis, gravi dolore in aliqua thoracis parte, ſæpe in latere ſiniſtro, ſed, multo ſæpius in dextro, inter ſextam et ſeptimam coſtam vexatus eſt.

Dolor

DOLOR alio hebetior, alio acutior est, et adeo pungens ut ægrotus neque in dorsum, neque in latus alterutrum recumbere, nec, nisi corporis truncus sit erectus, spirare potest.

RESPIRATIO semper difficilis est, præsertim in inspiratione, et cum dolore et anxietate perfecta est.

ANGUSTIA circum pectus cum sensu ponderis et oppressionis notabili sentitur.

ALVUS plerumque adstricta est.

PERSPIRATIO quoque imminuitur multum, cutis est calida aridaque cum magna oris et faucium siccitate, et ægrotans magnam sitem conqueritur.

TUSSIS, sub initio sicca cum expectoratione dolente et difficili, semper adest.

SED morbo procedente, etiamque diathesi sthenica remittente, liberior ac copiosior fit expectoratio; expuitur materia, quæ, varia crassitate sæpe sanguinis lituris intermista, conspicitur.

FACIES intumescit, et cum calore sæpe rubescit.

SEDES morbi universum corpus est—Quod probamus, primo, ex causis quæ morbum inducunt in corpus totum agentibus. 2do. Ex partis locali affectione nunquam ante universam affectionem, apparente—3tio. Ex phlebotomia, aliisque evacu-

ationibus,

ationibus, quæ non agunt magis in partes inflammatas quam in alias longinquiores, morbum ſublevantibus. Etiam probabile eſt quando ea pleuræ pars quæ illos tegit eſt inflammata, pulmones affici: nam ſi ſitus partium conſideretur, quod pulmones cum pleura et vaſa hujus cum vaſis illius libere communicant et arcte complectuntur vix credere poſſumus quomodo vaſa e pulmonibus orta et pleuram paſſim diſtributa et his cum iſtis recurrentia, poſſe ſine communicatione reciproca, cum inflammatione multum affici—E contrario, cadaverum diſſectiones docent cum pulmonum ſubſtantia ſit inflammata, pleuram in conſimili conditione fuiſſe repertam; et vice verſa.

MORBI EXITUS.

Inflammatio pneumonica ſthenica reſolutione, ſuppuratione, et gangrena deſinit. Sed præter has, alteram terminationem quæ videtur ſibi peculiaris, habet, nempe effuſionem ſeri atque ſæpe globulorum rubrorum in texturam pulmonum cellularem, quæ adeo veſiculas bronchiales comprimit, ut circulatio cito turbatur atque ſuffocatio fatalis producitur.

De RESOLUTIONE.

Opinio pervulgata fuit, reſolutionem quibuſdam evacuationibus per medicos *criticis* dictis deſignatum eſſe. E naribus vel vaſis Hæmorrhoidalibus

libus ſanguinis fluxus ſalutifer exiſtimatus eſt—Diarrhæa et effluentia urinæ copioſa largo cum ſedimento, precurſores felicis eventus dicti fuerunt. Quomodo evacuationes, quæ tendunt tam velociter debilitatem inducere, effectus adeo beatos gignere poſſunt, confitendum eſt mihi non facile poſſe concipi—Sed ſi adſit perſpiratio mitis per totum corpus, et etiam pulſus frequentiæ et doloris remiſſio his inſuper, ſi materia expectorata ſit ſpecie ſubalbida et fulva, et quoque ſanguine paululum diſtincta, reſolutionem eſſe eventuram nobis ſperare liceat.

Solutio plerumque quovis die primæ hebdomadis, a quarto ad ſeptimum uſque accidit, ſed poſt decimum feliciter eveniſſe noſcitur.

De SUPPURATIONE.

Sed modo violentia morbi omnis noſtros ad eum leniendum conatus fallat, atque ad quartuor decimum uſque ſe protrahit, ſupervenientem ſuppurationem timeamus—Et magis precipue, ſi in morbi decurſu nulla ad reſolutionem proclivitas neque ulla ſymptomatum remiſſio fuerunt, ſuppurationem formari concludere fas ſit.

Tamen ſi dolor eſt imminutus obtuſiorque, ſi æger rigoribus totum corpus pervadentibus corripitur, ſi tuſſis, ſpirandi difficultas, onus pectoris et oppreſſio permanent vel augmen accipiunt, ſi pulſus langueſcit, mollis exilis crebriorque fit, ſi exacerba-

acerbationes periodicæ fiunt ; morbum ad ſuppurationem proceſſiſſe nos eſſe factos certiores fas ſit.

De GANGRÆNA.

Si ſymptomata, quæ violenter ſæviſſent, inopinato deſiſtunt, manentibus vel augentibus ſpirandi difficultate et anxietate, ſi ei debilitas magna ſuccedit, cum pulſus oppreſſione, ſi materia ore rejecta putrida fiat, et ſubnigra, grangrænam eſſe naſcentem ſuſpicemus.

PROGNOSIS.

Diathesis ſthenica vehemens ſemper ſymptoma periculoſum eſt, ſi dyſpnæa adſit niſi quoad corporis truncus ſit erectus, imo licet erectus, ſi anxietas et oppreſſio pectoris ſint permagnæ et ſanguinis ad faciem fluxus crebri, ſi, iniquis frigidis viſcidiſque ſudoribus circa faciem et collum apparentibus, pulſus debilis, mollis, parvus et trepidus fiet ; tunc maximum periculum ſuſpicandum eſt.

Tussis ſicca cum expectoratione difficili et dolente ſemper diatheſin pertinacem notat—Delirium ullo tempore morbi apparens periculoſum eſt.

Perspiratio calida et generalis, per applicationem nullam ſtimulantem excitata, ſed ſpontanea atque

atque aliquot horas cum pulſus frequentiæ remiſſione et omnium ſymptomatum diminutione continuans, hæ ſunt conditiones, quæ ægrotanti felicem eventum promittunt.

EXPECTORATIO materiæ coloris ſubalbidi vel flavi, ſine magno dolore aut difficultate ejectæ, in quantitate copioſioris, et cum ſanguinis particulis diſtinctæ, omen fauſtum cogitandum eſt.

SI ægrotus in latus utrumque, vel in alia ullà poſitione ſine dolore recumbere poſſit, ſi ſomnus ſerenus, tranquillus et naturalis, ſi mens ejus placida et beata ſit, ſi etiam cibi vel cujuſcunque rei nonnaturalis (ſcil. nicotianæ) ante ægrotationem uſurpatæ appetitus redeat, tum beatum exitum expectemus.

PRÆDISPOSITIO.

HUIC generi morborum prædiſpoſitio in incitatione adauctiore, quam quæ valitudinem ſecundam conſtituit, nobis conſtare videtur—Hæc, ut opinamur, iiſdem poteſtatibus morbum gignentibus efficitur, ac quæ vi tantum diſtant; prædiſpoſitio igitur inter ſanitatem atque morbum intermedia eſt conditio——Quidam homines, quibus admodum robuſti toroſi et plethorici habitus ſunt, ad ingreſſus hujus morbi præcipue ſunt proclives. E contra, mulieres, infanteſque, imo omnes (præſertim fæminæ) imbecilli mollique corporis habitu vix pneumonici fiunt.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Inter fere omnes consentitur, ut opinor, inflammationes sthenicas in subitis caloris ac frigoris vicissitudinibus esse creberrimas, unde frequentissime apparent sub veris initio, cum tales mutationes sunt maxime insignes—Frigus, ut potestas, validissima, in hoc morbo producendo, putabatur, superficiem corporis constringendo, perspirationem imminuendo, materiam ad pulmones perspirationem repellendo, et phlogisticam per totum corpus diathesin producendo.

Frigus plerumque in hoc morbo creando aliquam partem habere, verisimile est. Sed ad hanc rem semper esse necessarium nobis non videtur satis clarum——Attamen, hoc concesso, non stimulanti, sed debilitanti vi cogitamus agere, nempe universam incitationem minuendo et principium permagnum (Scil : excitabilitatem) augendo, atque, magis idoneum ad stimulorum operationem afficiendo. Frigus vim esse debilitantem, modo quo operatur in variolis insigniter probatum est. Frigus solum ad hunc morbum removendum fere satis validum est, nequaquam eruptionem perturbat sed vasorum diametros ampliando, magnopere promovet. Si unquam frigus videtur morbillos repellere vel alioquin agere, quam utvis debilitans, applicationi, caloris aut alicujus stimuli cito succedenti, tribui penitus debetur.

Quoniam frigus tales effectus creat, ut corpus ad actionem virium ſtimulantium proclivius reddat ; haud abs re videtur, calorem frigoris applicationem ſequentem, in hac re potentiſſimum eſſe. Nam videtur prope par ad pneumoniam ſthenicam inducendam, operatione ſtimulante, incitationem ſyſtematis et tonum fibrarium muſcularium adaugendo, atque univerſam ſthenicam diathefin in totum corpus inducendo.

CAUSA PROXIMA.

Multa variis auctoribus de hac re tradita ſunt. Sed doctrina noſtra de cauſis remotis pro vero accepta exiſtimamus neque *ſpaſmum ſuperficiei*, neque *ſpiſſitudinem fluidorum* poſſe phænomena omnia morbi nunc tractati explicare.

Cum ſententiam propoſuerimus, omnes vires, quæ hunc morbum gignere poſſunt, per operationem ſtimulantem agere, ac incitationem univerſe adaugere : ſic opinamur, *incitationem nimiam* eſſe pneumoniæ ſthenicæ proximam cauſam. Hanc eſſe cauſam infero, ex ſanguinis miſſione et aliis viribus debilitantibus quæ incitationem minuunt, ac ad proprium modulum eam reducunt, ægrotanti ſanitatem reſtaurantes.

EXPLICATIO SYMTOMATUM.

Horror et frigoris ſenſus ex perſpiratione imminuta, pendent: quod ex incitatione vaſorum extremorum, nimis aucta oritur.

Pulsus

Pulsus frequentia operationi caufarum ftimulantium debetur, quæ plerumque aliquem frequentiæ gradum producunt. Sed fanguinis quantitas pervehendi *celeritatem* attingere eum non finit, fed ei terminos proprios conftituit.

Pulsus robur incitatione nimia vaforum fibrarum motricium creatur, durities fingula contractione brevi manente et magnam fanguinis molem complectente, ac plenitudo fanguinis in vafis abundantia.

Dolor acutus et inflammatio, ex diathefi in loco affecto majori quam alibi, funt enodandi.

Respiratio difficilis et dolorifica quæ femper adeft inducitur aere in pulmones irruente et veficulas bronchiales perfecte complente, quæ, per diftentionem expanfæ, partes inflammatas comprimunt.

Alvus adftricta eft, ob diathefin fthenicam exhalentes inteftinorum claudentem.

Calor auctus ex imminuta perfpiratione oritur.

Os et fauces multum aduruntur et ægrotus fitim magnam queritur—Hæc fymptomata inveftigata, ex diathefi vel incitatione vaforum exhalentium, in faucibus pendere reperiuntur, unde fluida ad has partes lubricandas per naturam deftinata, occluduntur.

Tussis

Tussis ſiccitas ſub initio morbi eadem ratione enucleanda eſt : Diatheſis in veſiculas bronchiales potens excretionem illius humoris qui has veſiculas lubricat, prohibet.

METHODUS MEDENDI.

In ſanatione peragenda tantum unam generalem indicationem facimus, id eſt, incitationem imminuere et eo deducere, quo ſanitas extat. In hoc perficiendo tamen una vel duæ vires non ſunt credendæ, nec nimia ſpes in ullo remedio collocanda. Sed conandum eſt nobis, diminutionem incitationis per totum corpus equalem reddere, omnium remediorum auxilio, quæ indicationi propoſitæ aptantur.

Sanguinis miſſio ſemper liberaliter adhibita eſt, et omnium virium debilitantium locum maximum habet. De quantitate extrahenda nullam certam regulam proponere poſſumus. Nam neceſſe eſt, ut hæc in caſibus diverſis varia eſſet, pro ætate, ſexu, habitu, et conſtitutione ægrotantis, et pro vi qua noxæ excitantes egerunt. Fortaſſe ex levamine et omnium ſymptomatum remiſſione, ductum certiſſimum inveniemus. Illuſtris Huxham nos docet, ſe peripneumonias vidiſſe, in quibus poſt unam venæſectionem pulſus et ægrotantis robor miro in modo opprimebantur : Et has excipi febre nervoſa, cum tremoribus, tendinum ſubſultibus, ſudoribus effuſis, vel cum diarrhæa bilioſa, cum lingua nigra, et comate ſeu deli-

rio.

rio. Sub initio tamen pulſus videbatur plenus et micans, et dolor tuſſis et oppreſſio adeo vehementes ut ſanguinis miſſio abunde indicaretur. Ex talibus exemplis evacuationes ſanguinis largas, et repetitas, aliquo periculo comitari opinamur. Illæ curationem, debilitatem inducendo quæ ſæpe tonicorum ſeriem requirit, antequam ſanitas reſtitui poteſt, tardam ac diuturnam reddunt. Attamen nil dubium eſt, quin caſus extant ubi venæſectiones copioſæ ſunt prorſus neceſſariæ, ſubitum levamen afferentes. Venæſectionis repetitio ſymptomatum ſtatu temperanda eſt. Hæc in primo morbi gradu (id eſt) diebus tribus primis adhibita, efficaciſſima evadet, etiam die quarto vel quinto ab inſultu cum fructu probabiliter adhibeatur. Si poſtquam doloris et ſpirandi difficultatis remiſſio fuit, et reſolutio, venæſectionibus jam celebratis, obtineri videretur; ſymptomata iterum ſævirent venæſectio, quatuordecim vel quindecem diebus elapſis, modo pulſus vigorem priorem retineat, nulla ad ſuppurationem proclivitate apparenti, celebranda eſt.

Sanguinis unciæ ſexdecem e brachio ſub morbi initio extractæ, cum applicatione virium poſthac recenſendarum, larga venæſectio eſſe videntur. Sanguis ex vena magna, in pleno rivo, ex orificio ſatis magno, extrahi debet. His rebus peractis, remiſſio certior doloris et ſpirandi difficultatis ſemper obtinetur. Si ſymptomata, ut ſæpe fit, poſt unam venæſectionem, eadem vehementia manerent vel paulo diminuta cum violentia rurſus redireut,

redirent, eodem die et imo in pauculis horis repetenda eſt. Sed ſi modica eveniant, Phlebotomia ſecunda in diem proxime venientem procraſtinetur.

Expectoratio ſuperveniens ſed ad morbum ſolvendum non ſatis copioſa, ſymptomatum viotentia nequaquam diminuta, diatheſi ſuper vaſa faucium excretoria aliquantulum leviori etiam apparenti, lanceæ uſum in futurum tamen non arceat. Nam miſſio ſanguinis expectorationem maxime promovet, et niſi in gradu morbi adductiori, univerſa debilitate inducenda, et ita poteſtate expectorandi deperdenda, eam imminuere nunquam invenitur.

Quippe vires omnes corpori applicatæ, ſicut remedia, vel noxæ excitantes, quæ morbum gignunt, in totûm corpus agunt, cum Excitabilitas ſit totius corporis qualitas indiviſa. Nihilominus ea pars cui immediate applicantur, majori gradu, quam aliæ remotiores, ſtimulatur. Unde phlebotomiæ effectus in vaſis magnis ſunt ampliores, dum eorundem extrema et ramuli longinquiores, ut ii, in ventriculo in inteſtinis, et vaſa perſpiratoria, permanent onerata.

Ad quod occurrendum poſt venœſectionem catharticum adhiberi debet. Hoc draſticum non ſit, quod *primaria* operatione ſtimulante, injuriam faceret. Sed mitiora (E. G.) Sal. Glaub. &c. exhibenda. Hæc maxime debilitantia evadunt et diatheſin, quæ vaſa inteſtinorum occluſerat,

removent

removent. Hinc incitationis diminutio æquabilior fit.

VESICATORIORUM effectus secundi in affectionibus Pneumonicis curandis, omnibus noti sunt. Sed quoniam Stimulus ex cantharidum operatione suboriens, in primo morbi impetu noxius evadat, vesicatorii applicatio, si morbus est mitis, procrastinari debet, donec phlebotomia et purgatio prius adhibitæ fuerint. Sed contra, si morbus vehemens sit, vesicatoria melius differuntur, donec venæsectio secunda vel tertia fuerit celebrata; quum evacuationes sanguinales non amplius necessariæ videantur. Vesicatoria prope ad partem dolentem, quam fieri potest, applicarentur. Et fortasse, quum necesse sit, Vesicatoria ter quaterque adhibere, recens tum emplastrum Epispasticum esset melius quam perpetuum.

TEMPERIES cubiculi proxime attentionen meretur. Si frigus in ejus operatione debilitans, si imo in variolis remedium sit optimum, cur non adhibeatur in morbo, de quo nunc agimus? Ambo sunt morbi valde inflammatorii, et, causis in operatione earum paribus producuntur, tantum hoc discrimen est, ille ex contagiosa materia, cum affectione cutis localis oritur. Sed ambo sunt Sthenici et ab iisdem remediis curandi. Si hoc verum sit, quoad proprietatem reginminis frigidi, vix ullum dubium manere potest. Frigus intensum nullo modo admittendum est, quod nostra consilia penitus frustraretur. Nam ægrotans tam breve spacium

ſpacium in eo cunctaretur, ut temperatura, ad quam illi redeundum eſt, ſtimulans evaderet, et incitationem majorem quam antea, faceret. Ægrotus cubiculum ſuum moderate frigidulum haberet, et lectum fugiens, in ſella poneretur. Hoc modo ſtimulus calore lecti ſuboriens omnino evitaretur.

DIETA quoque temperanda eſt. Nam ſanguinis miſſio et aliæ evacuationes utcumque ſagaciter, factæ tamen fruſtra, adhibuntur, niſi ſtimulus ex cibo procedens caute vitatus erit. Dieta ex vegitabilibus ad formam fluidam redactis, omnino conſtaret. Liquores ſpirituoſi omnes denegandi ſunt, et tenues et aquoſi potus tantum admittendi.

VOMITIO plena rariſſime utitur, et quidem Emetici exhibitio cum aliquo incommodo comitatur. Sed ſudatio, utile et incolume remedium, reperietur. Tartarum Emeticum, doſibus nauſeantibus adhibitum, huic parti curationis bene accommodatur videtur.

NITRUM quoque eſt remedium frequenter adhibitum in hujuſmodi morbis. Actionem imminuere tendit, et diatheſin in ſuperficiem adhuc valentem removit. Nitrum a quibuſdam tuſſim ciere dicitur: Sed probabile eſt hoc incommodum cum emolumentis ab ejus uſu exituris non eſſe conferendum.

EXPECTORATIO libera atque copioſa frequentiſſime morbum ſolvit; hinc remedia varia ad

hanc

hanc evacuationem promovendam commemorata ſunt. Qualia Gummi Ammon; Scillæ, Alkali Volatile, Gum: Arabic, &c. ſunt. Ex his fortaſſe aliquæ aptiora et mitiora ſunt. Syrupus e Scillis præparata cum addito pauxillo Elixir: paregorici, tuſſim titillantem adeoque moleſtam levat, vaſa excretoria faucium leniter ſtimulat et expectorationem multo magis liberam ac facilem facit.

Ex omnibus expectorantibus, Sal Volatilis longe efficaciſſimus exiſtimatur. Sed retinendus, donec diatheſis victa ſit. Tunc non ſolum expectorationem incitabit, ſed etiam, operatione ejus ſtimulanti, debilitatem ſubmovere tendit, quæ hunc morbum ſæpe ſequitur.

Multum commodi, a vaporibus aquæ calidæ in pulmones per Mudgii inhalorem receptis, fuit expectatum. Tuſſim fortaſſe levant, ſed eorundem effectus probabiliter magis inſignes erunt in caſibus ubi expectorationis vires debilitate affectæ ſunt. Nam cum ſputum in quantitate ita magna, ſuffocationem minitanti, effundatur, vapores aquæ calidæ tunc temporis in pulmones recepti levamen temporarium ægro ſaltem afferent.

Stimulus ex operatione functionum intellectualium procedens, ut ex cogitatione, vel ſodalitio ægrotantem in colloquio implicanti, ſicut noxius evitaretur. Animi adfectus ſuſcitare, ut periculoſum, et in debilitatem ægrotantem precipi-

tare tendens, conſpiciendum eſt. His magna attentio tribui debet. Adfectus animi ſopiendi ſunt, et mens ipſa in Conditione ſerena et tranquilla eſt conſervanda.

F I N I S.